Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1767

Quelle:
Copyright:



Spes, Fides infiſtunt tectum rotundum manibus ſublime ſuſtinentes. Subter Columba candida ſtans adparentibus utrinque Fortitudine, Prudentia, Juſtitia et Temperantia ſuis quaque inſignibus noſcenda. Infra Columbam baſis geminum opus ἀναγλυφον continet, ſuperius quidem Cadaver in feretro Clero, populoque circumfuſum, inferius Hominem thalamo compoſitum obverſantibus ei 7. Stellis, et totidem viris eminus ſtantibus. Et prius quidem Defunctum *Pariſiis* e feretro damnationem ſuam proclamantem, quo oſtento D. *Bruno* motus Eremum petierit, interpretor, quamvis oſtentum iſtud maxime a *J. Launojo* impugnatum fuerit, alterum Somnium *Hugonis* Ep. *Gratianopolitani*, quo, antequam *Bruno* cum 6. Sociis ad ſe acceſſiſſet, ſibi viſus eſt videre 7. Stellas ante ſe prociduas. Atque ex his jam liquet, ad *Carthuſianos* Codicem pertinere, id quod convaleſcit e *fol.* 7. p. 2. ubi citatur Liber *de uita chriſti domni Ordulphi* (Ludolphi) *monachi ordinis noſtri carthuſienſis*. Videmus *Carthuſianum; Italum* probabo. *Fol.* 8. inter libros legendos commendantur *Opera Vgonis Pancere;* at is Frater laicus O. M. fuit, et XIII. Tractatus aſceticos italice ſcripſit *Florentiae* 1492. typis editos. *Fol.* praeced. p. 2. de linguae latinae ignaris Fratribus dicitur: *Quoadusque addiſcant, materna lingua libros conſcriptos legant, ut ſunt Mons uirtutum, Mons contemplationis et ſimilia Opuſcula.* Haec ego quidem non vidi, interim vix dubium, eſſe talia, qualia *Antonii Senenſ. Monte ſanto di Dio*, item *Monte d' Orazione* &c. *Fol.* 18. ubi de *Carthuſianorum* Veſtimentis res eſt, memorantur *Vardacorium* et *Stafae*, primum dialecto *Veneta* pro *Guardacuore*, id eſt, Thorace protegendo pectori, alterum pro genere calceorum *ſenza peduli*, ut exponit Vocabularium *della Cruſca* dictum. His jam penſatis ſuſpicari liceat, Autorem Operis eſſe *F. Johannem de Deo* Domus *S. Andreae de Litore Venetiis* alumnum, de cujus piis Opuſculis a *Nic. Jenſono* ſub Typographiae exordia eleganter ibidem excuſis plura dixi in *Suffragio pro Joh. de Spira primo Venetiar. Typographo.* Referunt illa etiam *Tritbemius* in *Scriptt. eccl. n.* 905. et *Petreji Bibl. Carthuſiana*, et quamvis de praeſenti, fortaſſe, quod typis vulgatum nunquam fuit, taceant, addunt tamen, *Johannem* varia alia conſcripſiſſe. Cujus vero tandem generis Opus iſtud? Aſceticum eſt, nullo titulo generali inſignitum, conſtans III. *Libris*, quorum I. per allegoriam Columbae 7. Virtutes in prima Icone ſupra depictas explicat, II. per allegoriam Pulli aſini, quo vectus eſt Chriſtus, *Carthuſianorum* ordinem diurnum in exercitia mentis et corporis tributum exponit, III. Contemplationum materiam praecipue e Vita Chriſti ſubpeditat, admixtis etiam paſſim Precum formulis. Prologi *Libri* I. initium eſt: *Volui idcirco filij dilectiſſimi ſan-*